



**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibitent Benè Vivendi  
Et Benè Moriendi**

**Balde, Hendrik**

**Ipris, 1689**

8. Cap. Plurimi salutem animæ suæ negligunt.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](#)

si non esset, vel potius mundo gravem incutiet metum & horrorem: sic & nihil magis absconsum, atque infructuosum, nihilque magis horrificum est. quam hominis animus, qui cum nullum in finem, nisi ut Deo serviat, procreatus sit, non ex integro se ipsius servitio devovet.

*Qui Deo non vivit, is qui vivat, indignus est. Totum te exigit, ait S. Augustinus, qui totum te fecit.*

Prodeesse nequaquam tibi poterit, quod hoc anno incedas auro argentoque gravis si proximo nudus, & rerum omnium egenus virtutisque expers coram tremendo atque justissimo sistendus sis judice; nec quidquam emolumenti hauries ex rebus omnibus creatis, si per totam eternitatem suavissimo Dei privandus sis conspectu.

### C A P V T . V I I I .

*Plurimi salutem animæ sua negligunt.*

**M**axima pars mortaliū nullā de re minus cogitat, quam de negotio sua salutis. Vacat tibi ut Philosophus sis, non vacat tibi, ut Christianus sis, ait S. Paulinus.

Rerum omnium curam habent, præterquam animæ sua; studiosè satagunt, ne domus longo tempore inculta vident, tinea ne vestes corrodat atque exedat, curculio

Curculio ne noceat tritico , nummis suis  
census emunt annuos , & curant quam  
maximè , ut agri colantur & fructus pro-  
ferant , atque ut proventus indicis accres-  
cant ; sed aut nihil omnino , aut perparum  
pro animâ suâ sunt solliciti .

Contrà tam crudeliter illam tractant ,  
ac si foret anima infestissimi inimici , cui  
mortem intentant , cuique gravia student  
inferre damna ; vel ferocis bestiæ , quædijū  
noctuque naturæ motionibus , atque appre-  
titibus servit ; vel denique , ac si vide-  
rentur illam solummodo adepti , ut eam  
perdant .

Quid hîc agimus , si illud , quod unicè  
nobis agendum est , nequaquam agamus ?  
Si Deo hîc non adhæreamus , eumque to-  
tis viribus , ac tota mente diligamus ,  
propter quem diligendum in mundum  
venimus .

Duæ tantum res nobis hîc cordi esse  
debent , amare nempe Deum & stabilire  
animæ nostræ salutem . Qui cò non attin-  
git , is profectò infelix est , & æternùm  
perditus .

Ludovicus undecimus Galliarum Rex ,  
Benedictum XII. Papam rem quampiam fla-  
gitabat , quæ rectæ rationi consentanea  
non erat cui postulato Papa prudenter  
atque

atque religiosè reposuit: Si dua mihi forent anima, harum alteram lubens ad regis arbitrium immolarem, sed quando non nisi unica mihi est, illius jacturam nec facere possum, nec volo.

Dæmon infestissimus noster adversarius, tanquam leo rugiens dies ac noctes circumiens, quærensque quem devoret, multò laborat impensis, ut animam nostram suos in laqueos pertrahat, quam nos, ut eam conservemus.

*Quis furor est, exclamat Salvianus (a)*  
Viles à vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas? &c. Et per hoc quicumque animas suas negligunt, etiam infra judicium diaboli se amant.

## C A P V T. I X.

Nunquam licet in procurandâ salute languescere.

**M**ulti causas aliorum vincunt, at (proh dolor!) propriâ cadunt. Maxima pollent industriâ, ut adjuvent ceteros, corumque negotia ad felicem exitum perducant, exigua autem, ut seipso juvent siveque salutis negotium pertrahent. Menses & annos inserviant, ut ius alienum tutentur; sed vix reperiunt horæ  
(a) *L. 3. ad Eccles.* dimidium